

DOCUMENTI DI STORIA TRIESTINA

I.

Da copia dell'Archivio Diplomatico di Trieste, tratta da' *Pacta*, a. $\frac{1381}{1406}$ pag. 107
e 108, del R. Archivio de' Frari di Venezia.

Venezia 1381, 7 Ottobre.

*Ratificatio et approbatio facta per syndicos civitatis Tergesti de
quodam articulo pacis celebrate Taurini tangente de Tergesto et
ejus districtu.*

In Christi nomine Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo octuagesimo primo indictione quarta die septimo mensis octobris. Actum Venetiis in ducali palatio presentibus sapientibus et circumspecto Viro, domino Phylippo de Melioratis de Regio legum doctore, providis viris Iohanne plumatio Guilliemo de Vincentiis notariis ducatus Venetie. Iohanne Dandolo Iohanne de Ongarellis testibus ibi vocatis specialiter et rogatis et aliis. Provvidi et discreti Viri domini Adelmus de Petaciis et Nicolaus Cigottus, cives Tergesti, Sindici actores et nuncii speciales Regiminis consilii comunis Universitatis ac populi Tergesti habentes ad infrascripta speciale mandatum, ut de dicto syndicatu patet uno publico instrumento manu Guilliemi Coppa Notarii et cancellarii dicti comunis Tergesti scripto sub millesimo et Indictione

presentibus die tercio mensis octobris dicto instrumento a notario subscripto viso et lecto. Sindicario nomine predicto, volentes observare attendere et adimplere omnia et singula contenta in pace et articulis pacis et specialiter articuli infrascripti positi et contenti in dicta pace firmata et celebrata, intervenetu et laudabilibus operibus illustris et excelsi domini domini Amadei Comitis Sabaudi in Taurino, die Iovis octavo mensis Augusti proximi preteriti inter venerabiles egregios et circumspectos viros dominos Georgium de tortis de papia decanum Aquilegiensem Federicum militem de Savorgnano et Nicolaum condam dominici Zerbini de Utino, syndicos actores nuntios et procuratores speciales egregii et venerabilis viri domini Federici Comitis de porciliis Ecclesie Aquilegiensis sede tunc vacante vicedomini generalis patrie forijuli, de quorum syndicatu constat manu Antonii quondam Nicolai ser Guarnerii de Sonimbergo publica Imperiali auctoritate notarii sub anno nativitatis domini 1381, indictione quarta die nono mensis aprilis ex una parte et honorabiles et egregios viros dominos Zachariam Contareno, Iohannem Gradonico, et Michaellem Mauroceno procuratores Ecclesie Sancti Marci de Venetiis syndicos et procuratores actores et nuntios speciales Illustris et Magnifici domini domini Andree Contareno ducis Venetiarum etc. et comunis Venecie ex parte altera de qua pace rogati dicuntur notarii infrascripti Viri Iohannes Ravasii Notarius Illustris et excelsi dicti domini Comitis Sabaudi, Antonius de Crodaterra notarius dominorum Ianuensium, galvanus quondam ser Bartholomei de castrobaldo notarius Reverendi patris domini Episcopi quinque Ecclesiarum, Bandinus Angeli de Vandimo notarius Paduanus, et dictus Antonius quondam Nicolai olim Guarnerii de Sonimbergo notarius furlanorum, ac BonIohannes de Brisariis¹ notarius ducatus Venecie facere plura publica instrumenta unius et ejusdem con-

¹ Nel documento della pace di Torino pubblicato nel *Codice Diplomatico Istriano*, alcuni di questi nomi leggonsi come segue: Iohannes Ravaisius, Antonius filius quondam Conradi de Credentia, Bandinus filius Angeli de Bandino de Brazis, Antonius quondam Nicolai olim ser Guarnerini de Soffumbergo, BonIohannes quondam Christophori de Brissariis.

tinencie et tenoris Ratificaverunt et approbaverunt emologaverunt, ratificant approbant et emologant per hoc presens instrumentum dictum infrascriptum articulum et in omnibus et per omnia et quo ad omnia et singula contenta in infrascripto articulo dicte pacis, et omnia alia et singula contenta in dicta pace, que prefactum comune Tergesti approbare, ratificare, et emologare et alio modo facere tenetur quovismodo secundum formam et tenorem dicte pacis, et specialiter articuli infrascripti cujus articuli in dicta pace contenti tenor talis est.¹ * Item fuit actum inter partes predictas nominibus predictis quod omnes, civitates, castra, terre, et locaque tempore incohactionis presentis guerre, tenebantur seu possidebantur per aliquam ipsarum parcium seu ipsarum parcium subditos vel adherentes, que in presenti guerra, per aliquam ipsarum parcium subditos vel adherentes ipsarum capta vel capte occupata tenerentur, relaxentur et expediantur per partem occupantem seu vel occupata tenentem in eo statu in quo hodie sunt exceptis munitionibus mobilibus, quas ipse partes vel alique ipsarum possuissent in dictis locis vel aliquo ipsorum quas libere exportari facere possint taliter quod illa pars vel persone que dicta loca castra vel terras tenebant tempore dicte incohacte guerre ipsa possint intrare tenere et munire sic et taliter quod dicta loca que ante presentem guerram per comune et dominationem Venecie seu eorum nominibus tenebantur sine aliquo impedimento ad manus et potestatem dicti comunis Venecie poterunt devenire et pervenire si ipsa capere volent salvo jure compromissi subscripti et consimiliter locaque ante guerram presentem per dominum patriarcam et Ecclesiam Aquilegiensem seu eorum nominibus tenebantur sine aliquo impedimento ad manus et potestatem dicte Ecclesie poterunt devenire et pervenire si ipsa capere volent et ipsa tenere possint, prout tenebant et tenere poterant ante presentem guerram in omni et tali jure possessionis et dominii quibus ante presentem guerram tenebantur. Ita quod per dictam occupationem et relaxationem vel expeditionem ipsarum terrarum vel alicujus carum nullum jus

¹ Il testo da questo asterisco al vegnente dà quella parte della pace di Torino che riguarda Trieste.

intelligatur de novo acquisitum auctum vel diminutum alicui ipsarum partium nisi prout habebant ante presentem guerram exceptis a predictis omnibus et singulis civitate Tergesti castris de mocho et mocholano territorii districtus villis et pertinentiis ipsius et ipsorum et cujuslibet eorum cum omnibus fortificiis et locis que infra eorum continentur confines et districtus, quam civitatem comunitas et loca predicti sindici actores et procuratores domini ducis et comunis Venetiarum nomine antedicto liberant et absolvent perpetuo ab omni jure possessionis et domini quam seu quod in dictis locis vel aliquo eorum haberent et ab omni vinculo cujuscumque homagii fidelitatis jurisdictionis et obligationis alterius cujuscumque quocumque nomine censeatur et que dici vel excogitari possit, quo seu per quam dicta Civitas et castra comunia terre et homines forent quocumque et qualitercumque dicto domino duci et comuni Veneciarum obligata vel quolibet tenerent liberantes et absolventes nos notarios infrascriptos tamquam publicas personas stipulantes et recipientes nomine et vice predictorum civitatum castrorum comunium Universitatum et singularum personarum earundem a predictis omnibus et singulis per acceptilationem et Aquilianam stipulationem veris et legitimis et solemnibus interpositas, facientes nobis dictis notariis ut supra recipientibus de predictis omnibus et singulis finem quietationem omnimodam liberationem et pactum de ulterius non petendo promittentes nobis dictis notariis ut supra stipulantibus et recipientibus nec non predictis venerabilibus Egregiis Sindicis actoribus procuratoribus ambaxatoribus et nunciis specialibus dicti domini Vicedomini Ecclesie et capituli Aquilegiensis et patrie forijulli nomine et vice dicti patriarcatus et Ecclesie Aquilegiensis recipientibus quod nulla in perpetuum lis causa molestia controversia vel requisitio fiet vel movebit contra dictas Civitates castra comunia et personas nec non contra dictum dominum patriarcham et Ecclesiam Aquilegiensem in judicio nec extra de jure nec de facto publico vel occulte directe vel per indirectum exceptis et reservatis a predictis omnibus et singulis prestatione annua illius quantitatis vini ribolei et olei que per dictos Venetos et Comune Venetiarum regalia appellantur.

Que dicta civitas et Comunitas Tergesti dicto domino duci et Comuni Venetiarum solite et consuete sunt prestare antequam dominus dux et comune Venetiarum haberent dominium et possessionem et tenerent Civitatem Tergesti que prefacto domino duci et Comuni Venetiarum prestari debeant predictis non obstantibus prout et secundum quod Comune Tergesti consuetum et solitum erat prestare antequam Comune Venetiarum teneret et possideret dictam Civitatem Tergesti. Et excepto etiam quod dictis domino duci et Comuni Venetiarum et subditis et districtualibus eorundem remaneant salva integra illibata et illesa jura mercandi libere et absque solutione alicujus pedagii daci vel gabelle seu alterius impositionis cujuscumque ac transeundi standi et redeundi cum suis navigiis mercimoniis, atque rebus, que habebant in ipsa civitate et territorio, eo modo et forma et prout soliti et consueti erant antequam dominus dux et Comune Venetiarum haberent dominium et possessionem et tenerent Civitatem Tergesti. Et versa vice dicti dominus dux et Comune Venetiarum teneantur et debeant solvere et prestare omnia illa que soliti et consueti erant solvere et prestare Comuni Tergesti et singularibus personis, si eis solvere vel prestare aliquod consueverunt. Et insuper fuit actum inter dictas partes nominibus predictis, non obstantibus suprascriptis, quod omnes domus possessiones et bona immobilia singularium personarum subditarum dicti Communis Venetiarum, quas habent in dicta civitate et territorio Tergesti et castrorum locorum et districtuum predictorum que tenebant et possidebant ante presentem guerram eisdem restituantur talia qualia sunt in eo jure possessionis et dominii quod habebant ante presentem guerram, et eo modo dictis Tergestinis et districtualibus dictorum locorum restituantur omnes domus terre et possessiones, quas habebant ante presentem guerram in Venetia territoriis et districtualibus Communis Venetiarum tales quales sunt, et restituantur in eo jure possessionis et dominii in quibus erant ante presentem guerram hoc acto et specialiter convento inter dictas partes quod syndici procuratores actores ambaxatores et nuncii speciales Ecclesie Aquilegensis nomine et vice dicte Ecclesie promiserunt per solennem stipulationem prescriptis sindicis et procuratoribus dictorum domini ducis et Communis Venetiarum stipulantibus et recipientibus

nomine et vice dictorum domini ducis et Comunis Venetiarum sunt facturos et curaturos cum effectu quod dictum comune Tergesti ratificabit et approbavit per publicum Instrumentum suprascriptum capitulum infra duos menses a presenti die numerandos sub pena in presenti pace apposita, que pena ipso facto comuni Venetiarum applicetur et possit exigi cum effectu, et quod pro dicta pena possint conveniri arrestari et detineri personaliter et realiter acto et convento inter ipsas partes, quod omnes domus, possessiones predia et bona immobilia partium predictarum et singularium personarum ipsarum que per ipsas partes et singulares personas ipsarum ante presentem guerram tenebant in eo statu in quo nunc sunt restituant hinc inde illis partibus et personis que ipsa tenebant ante presentem guerram, * et promittentes predicti syndici et procuratores actores et nuntii speciales sindicario nomine predicto per se suosque successores predicta omnia et singula et infrascripta nomine et vice consilii comunis et Universitatis et populi Tergesti sponte et ex certa omni scientia nobili et sapienti viro domino Raphayno de Caresinis, cancellario Venetiarum sindico et procuratore prefati Illustris domini domini ducis et Comunis Venetiarum ad hec et alia exercenda specialiter constituto. Ut constat Instrumento sindicatus scripto manu Leonardii de Anzolellis Imperiali auctoritate notarii ac ducatus Venetiarum scribe. Subscripto anno indictione et die a me notario infrascripto viso et lecto, ibi presenti stipulanti et recipienti nomine et vice prelibati domini domini ducis et comunis Venetiarum et omnium quorum interest vel interesse posset promiserunt per se suosque successores perpetuo firma rata et grata habere et tenere attendere et adimplere et non contrafacere vel venire per se vel per alium directe vel indirecte aliqua ratione vel causa de jure vel de facto sub pena in dicta parte contenta solemnii stipulatione promissa qua soluta vel non presens instrumentum suam obtineat firmitatem sub refectione damnorum et expensarum litis et extra, pro quibus omnibus et singulis attendendis et firmiter observandis antedicti syndici sindicario nomine predictorum consilii comunis Universitatis et populi Tergesti et successorum suorum obligaverunt omnia bona dicti Communis Tergesti mobilia et fixa presentia et futura. Exceptioni non facte

dicte promissionis ratificationis approbationis et obligationis condicioni sine causa vel ex injusta causa et exceptioni doli mali et in factum fori privilegio et omni alii jure canonico civili et municipalis dictis nominibus omnino renunciantes. Mandaverunt insuper et rogaverunt predicti syndici et procuratores utriusque partis, dictis nominibus quod per me Simonem de Iudicibus notarium infrascriptum et Ser Iohannem Plumatio Imperiali auctoritate notario de predictis conficerentur unum et plura publica Instrumenta in eodem tenore.

Ego Simon de Iudicibus Imperiali auctoritate notarius ac iudex ordinarius his omnibus interfui et de voluntate dictarum partium scripsi et roboravi subscripsi.

II.

Da copia come sopra. *Pacta*, pag. 109.

Venezia, 1381. 8 Ottobre.

Instrumentum sindicorum Communis Tergesti ad faciendum presentari Sindicatum ad plenum

In Christi nomine Amen. Anno Domini 1381. Indictione quarta die octavo mensis octobris. Actum Venetiis in Ducali palatio. Presente sapiente et discreto Viro domino Filippo de Melioratis de Regio legum doctore provvidis Viris Johanne Plumatio, Guielmino de Vicenciis notario ducatus Venetiarum, Johanne Dandolo, Johanne de Ongarellis testibus ibi vocatis specialiter et rogatis et aliis. Ibiq; discreti et provvidi viri domini Nicolaus de Cigottis et Adelmus Petacius cives civitatis Tergesti syndici actores nuncii speciales et procuratores Regiminis consilii Communis

et Universitatis Communis Tergesti ad hec et alia facienda specialiter creati et constituti, ut constat instrumento sindicatus eorundem scripto manu Guillelmi Coppa Imperiali auctoritate notarii et comunis Tergesti cancellarii sub presente millesimo et indictione die tercio octobris, sponte et ex certa animi scientia et non per errorem, tam sindacario nomine suprascripto, quam proprio eorum et speciali nomine promiserunt et convenerunt nobili et sapienti Viro domino Raphayno de Caresinis cancellario Venetie sindico et procuratori excelsi et illustris domini domini Andree Contaréno dei gratia ducis Venetiarum etc. et Communis Venetie ad hec et alia constituto ut constat instrumento sindicatus ejusdem scripto manu Leonardo de Anzolellis publici Imperiali auctoritate notarii et ducatus Venetiarum scribe suprascripto anno indictione et die ibi a me notario infrascripto viso et lecto, ibi presenti stipulanti et recipienti nomine suprascripto facere et curare cum effectu, quod prefacta Regimina consilium et Comune ac Universitas Tergesti usque ad festum Sancti Andree proximum venturum mittent et designabunt seu designari facient prefato Illustri domino domino duci et Comuni Venetiarum unum instrumentum sindicatus dictorum suorum sindicorum et procuratorum sub anno domini 1381, indictione quarta die tertio mensis octobris in pleniori forma qua sit Instrumentum sindicatus predictorum sindicorum et procuratorum Regiminis consilii comunis et Universitatis Tergesti cujus vigore ipsi syndici et procuratores dicto nomine dicta die septima presentis mensis octobris ratificaverunt quoddam tertium capitulum contentum in contractu pacis nuper celebrate die s. octavo mensis augusti proximi elapsi in Taurino inter pathriarcatum et Ecclesiam Aquilegiensem seu procuratores suos ex una parte et prefatum illustrem dominum dominum ducem et comunem Venetiarum seu syndicos suos ex altera, insuper suprascripti syndici et procuratores Regiminis consilii et comunis Tergesti, tam nomine suprascripto, quam proprio et speciali nomine promiserunt et convenerunt se facturos et curaturos cum effectu quod usque ad festum Sancti Andree proximi venturi, mittent et assignabunt prefato domino duci et comuni Venetiarum Instrumentum publicum per quod constabit et fiet plena fides de licentia concessa per nobilem et potentem Militem dominum Simonem de

Prampergo et per consilium Tergesti sapienti et discreto Viro domino Raynaldo de la porta de Vincentia, utriusque juris perito Vicario dicti domini capitanei tenendi locum suum in capitaneria predicta. Et predicta omnia et singula predicti sindici et procuratores tam nomine suprascripto, quam proprio et speciali nomine promiserunt per stipulationem solemnem attendere et observare et attendi et observari facere cum effectu sub pena damni et interesse et expense, et sub obligatione omnium bonorum tam comunis Tergesti quam ipsorum sindicorum mobilium et immobilium presentium et futurorum.

Ego Simon de iudicibus publicus imperiali auctoritate Notarius et Iudex ordinarius his omnibus interfui, et rogatus scripsi et roboravi.

È noto che alla pace di Torino, che richiamò Trieste a libertà, la città nostra era rappresentata dagli ambasciatori della lega del Friuli, alla quale i Triestini appartenevano in opposizione al cardinale patriarca Filippo di Alençon; come provano apertamente gli aiuti da' Triestini richiesti ed accordati dagli Udinesi, antesignani della Lega.¹ Ne' documenti riferiti qui sopra, Venezia domanda a' Triestini la ratificazione de' patti di Torino e più esplicita conferma degli ufficiali citati ne' documenti.²

¹ Cfr. nel *Codice Diplomatico Istriano* i Documenti alle date: 2 Gennaio, 1 e 29 Marzo, 29 Marzo e 10 Luglio dell'a. 1381, e 2 e 3 Gennaio del 1382, e le *Relazioni tra Udine e Trieste ne' secoli XIV e XV* pubblicate in Udine (Tip. Seitz) nel 1872 dal Conte Nicolò Mantica.

² Cfr. nel *Cod. Dip. Ist.* alla data 3 ottobre 1381 il documento col quale il Comune di Trieste manda i patrizi Nicolò Cigotti e Adelmo Petazzi a Venezia per ratificare il trattato di Torino.

Tra questi ufficiali leggiamo pure il nome del capitano Simone de Prampergo, che vediamo capitano in Trieste fin dal 25 Maggio 1381, ¹, appena reduce dalla cattività de' Veneziani, che l'avevano fatto prigioniero alla presa di Capodistria valorosamente difesa dal Prampergo per il patriarca Marquardo. Morto quest'ultimo e accesa la guerra contro il nuovo patriarca commendatario, i Prampergo furono de' più caldi partigiani della Lega friulana, e Simone di Prampergo fu in Trieste capitano di questa parte. La quale dovette cedere di lì a pochi mesi alla parte patriarcale, poichè, nel febbraio del 1382, il patriarca Filippo ebbe qui un suo capitano, che è quel Tomaso di Spilimbergo che figura ne' documenti pubblicati ne' volumi primo e secondo di questo Archeografo. ² Ond' è che da questi documenti e da quelli pubblicati qui sopra viensi a conoscere esattamente il tempo quando i fautori del patriarca Filippo vennero a soprastare in Trieste sulla parte della Lega. Il che accadde parecchi mesi più tardi di quanto fu da altri asserito, e precisamente alla fine del gennaio del 1382.

¹ Nel *Cod. Dip. Ist.* (ad a.) è da correggersi: Procupero in Prampergo.

² Nuova Serie. Vol. I. pag. 269 e seg., e Vol. II. pag. 237 e seg.
